



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 3. Non in omnibus credendum est Paenitentibus, dum contra se loquuntur, ac proinde non mirum quod dum se loquuntur, non semper illis sit credendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

sufficiunt, minùs quoque ipsis in hujusmodi credi debet, sed magis etiam ad alia quæ concurrunt oportet attendere. Dum verò quædam discernere & dijudicare vix aut nullo modo sufficiunt, à prudentia alienum est in istiusmodi multùm eorum iudicio deferre.

§. III.

Non in omnibus credendum est Pœnitentibus, dum contra se loquuntur, ac proinde non mirum quod dum pro se loquuntur, non semper illis sit credendum.

Impertinens est an pro se, an contra se dicant: nam contra se dicunt multi scrupulosi, dum in plurimis se accusant, & cogitationibus blasphemix, iudicii temerarii, vindictæ, luxuriæ, &c. consensum se præbuisse existimant, eò quòd malam suggestionem sensisse, iudicent consensisse; item ad susceptionem Sacramenti nunquàm se satis putant dispositos. In his tamen & similibus non credit ipsis prudens Confessarius, quin potiùs singulis attentis, ac cognito eorum statu ac vivendi modo plerumque contrarium iudicium format, cui ipsorum quoquè potiùs est, quàm proprio credere, quòd ista

an-

PECCATORIS. 165

anxietate commoti inepti sint, qui de se & sibi agendis judicent. Sic è converso non omnibus credendum est, qui se pœnitere, atque à peccatis debitè dicunt conversos; sed prudenter ex aliis ponderandum est, quantum eorum hâc de re iudicio deferre oporteat. Cùm enim teste Apostolo, *animalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritûs Dei*, qui adhuc animales vivunt (vivunt autem, ut notat Augustinus, etiam nunc revelatâ novi Testamenti gratiâ adhuc plerique) valdè inepti sunt, ut interiorem conscientiæ suæ statum secundùm Dei legem exactè dijudicent. Cui accedit privatus amor quo sibi quicquid blanditur & mala sua extenuat. *Hic enim, ut verè Gregorius, vehementer claudit oculos cordis, & facit quod idem alibi dicit: ut sæpè sibi de se mens ipsa mentiatur & fingat se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Hic ergò quò adhuc in homine major est, ac minùs Dei charitati subjectus, eò faciliùs eum facit in sua de se existimatione falli, ut se à peccatis recessissè judicet, à quibus non recessit, & debitè se ad Deum conversum, à quo adhuc pro potiori parte manet aversus.

1. Corinth. c. 2. v. 14.

L. 1. de Bapt. c. 15.

om. 4. in Ezech. Past. p. 1.